





ULB Düsseldorf



+1292 920 01



Dissert. 40

²_{Be}

[Stck 1-15]

[Stck 14 : Tit. nicht zu ermittl.]

ORDINIS IVRIDICI *h.*
PRODECANVS
GEORGIUS LVDOVICVS
BOEHMER
VIRI PRAENOBILISSIMI
BARTHOLDI IOANNIS DAVIDIS
CLAVERI
MOENO FRANCOFVRTHANI
SOLENNIA INAVGVRALIA
IN GEORGIA AVGVSTA
INDICIT
SIMVL NONNVLLA
DE
FEMINA MINISTERIALI
COMMENTATVR.



GOTTINGAE
EX OFFICINA SCHULZIANA.

ORDINIS IVRIDICI
FREDERICUS
GEORGIVS LUDOVICVS
BOEHMER
VIRI PRAEPOSITISSIMI
HARTHOLDI IOANNIS DAVIDIS
GLAVERI

NOBIS FRANGORUM
SCIENTIA INVALENTIA
IN GEORGIA AVASTA
EXDIT
SIMIL MONVIA

LEMINA AVASTERINIA
COMESTATV



COPIA
FACILITATE

I.

Si nexum arctissimum perpendimus, quo apud veteres Germanos principum lateri adhaerebant *comites*, ad officia praestanda honore & stipendiis euocati, illorumque decus & praesidium in pace & bello futuri; si *deutorum solduriorumque* apud Gallos conditionem, omnibus vitae commodis & infortuniis cum his fruentium, quorum amicitiae se dediderant, si *ambactorum clientumque*, quibus circumdari principes solebant, rationem intuemur; a) mirari non subit, posteriori aetate a sua indole non alienum existimasse Germanos, aliis dignitate virtute potentiaque florentibus *se suosque omnes* ad officia pro beneficiis praestanda obnoxios efficere eorumque fieri ministeriales. Qui sic in alterius familiam transibant, libertatis quidem hanc diminutionem patiebantur, quam officiorum, ex conuentione praestandorum, huiusque obligationis ad posteritatem transiturae, ratio exigebat, vsusque & obseruantia ferebat; *ingenuitatem* vero, qua intuitu status ciuilis fruebantur, saluam seruabant. In honorificorum, quae in pace & bello in aula & extra eandem subibant, officiorum functione nihil omnino continebatur, quod generis & status ingenuitati aduersaretur; quin

a) Horum omnium indolem docte & adposite explicuit vir illustris GE. CHRIST. GEBAVERVS

in progr. de Comitatu principum Germanicorum,

quin potius ipsa ministeriorum quae dignitates & officia appellantur *b)*, ratio ingenuos ministeriales desiderabat *c)*.

II.

Ex adstrictiori ministerialium nexu illud hoc loco repetere iuuabit, quod personalis illa ad ministeria obeunda obligatio ad eorum posteritatem propagata sit, libera ipsorum ut plurimum conuentione, vsuque & obseruantia Germaniae id comprobante; ut videlicet & posteris largitiones & commoda beneficiorum conciliarent, dum eisdem eos officiis obnoxios reddebant. In variis conuentionum formulis, parentes liberos suos, natos & nascituros, huic nexui subiecisse legimus. Henricus & Otto de Barmstede ministeriales ecclesiae Bremensis facti, a. 1257. fidem faneiebant, *d)* *se sicut ministeriales fideliter perpetuo seruituros; uxores nostrae, libe-*

78

b) In publico iudicio, quod Conradus II. aduersus nimiam Ministerialium Corbeiensium potentiam tulit in diplomate a. 1150. apud EDM. MARTENIVM in *Collect. monum. Ampliss. tom II. p. 687.* nominantur & describuntur ministeriales, & inter eos *dapiferi* & *pincernae* & reliqui qui ministerii locum in domo Corbeiensis Abbatibus tenent, quam dignitatem vulgari nomine officia appellant.

c) Hanc causam luculentis argumentis instruxerunt Viri illustres, DAV. GE. STRUBEN. in *obsruat. obs. II. de ministerialium dignatione p. 44.* & CHRIST. LVDOV. SCHEIDT *von Hohen und Nieder Adel in Teutschland §. 20. & sq.*

d) vid. Charta apud LVNIGIVM in *spicil. eccl. Part. I. foris. in app. tom. XVI. Arch. Imp. p. 114.*

ri nostri, iam nati & adhuc nascituri, idem facient. Femina nobilis Engila de Sandolteshulen ecclesiae Frisingensi seculo XI. se tradidit ea conditione; *ut ipsa omnisque posteritas illius legitimorum ecclesiae seruientium iure & lege uiuerent e).* In diplomate Conradi Comitis Luxemburgensis, Abbatiae S. Maximini anno 1135. dato *f)*, recensentur ministeriales, qui *ius ministerialium a praedecessoribus suis integritate generis & conditionis obtinuerunt.* Itaque posterius utriusque sexus ex paterna vel auita conuentione facti sunt ministeriales, & feminae subinde sponte eundem nexum subire non dubitarunt. Habet inde media aetas *feminas ministeriales* non minori numero ac masculos, easque non minus in nexu *procerum imperii* quam in nexu *imperatoris & imperii* consistentes: quod cum mirum videri possit perpendiculari, sequiorem sexum, in aliis omnibus occupatum, a ministeriorum functione solere esse alienum, rationes huius instituti expendere, & de *femina ministeriali* quaedam commentari non prorsus iniucundum fore arbitror.

III.

Ministeriales feminas fieri & nasci apud Germanos, exemplis pluribus edocemur. *Fiebant* propria conuentione; & feminas facile cepit quaedam pietatis opinio, qua se suos-

A 3

que

e) Chartam habet CAROL. MEICHELBECK *hist. Frising.* tom. I. p. II. p. 526.

f) in V. R. 10. NIC. ABHONT-HEIM. *histor diplom. Treuirensi* tom. I. p. 528.

que ministeriis ecclesiae deuouerent; vt in exemplo Gise-
lae, antea exposito, apparet. *Nascebantur* ex parentibus
ministerialibus. Et matrem quidem ministerialem esse suffi-
ciebat. Id ferebat mos Germanorum, vt partus eidem esset
obnoxius, cui mater fuerat obstricta, & ius domini in ma-
trem propagaretur in liberos, ex ea natos. Cuius rei vsus
cum in hominibus propriis perspicitur; tum quadam *iuris*
similitudine in ministerialibus inualuit. Liberi in nexu mi-
nisteriali eius domini erant cui parebat mater, siue pater li-
ber, seu a nexu ministeriali immunis, siue ministerialis al-
terius Domini esset. Itaque liberi ex utroque parente, mi-
nisteriali quidem, sed *diuersis dominis* obnoxio, nati, ex
regula non seruebant domino patris, sed domino matris,
nec ad patris officium & beneficium adspirabant, sed in
spem ministerii & beneficii per matrem obtinendi nasce-
bantur. Ita definiuntur iura ministerialium Abbatiae Maxi-
minianae in charta antea excitata de a. 1135. g) *Si quis mi-
nisterialium ecclesiae extraneam uxorem duxerit, filii eius
praedictum seruitium, quod pater eorum, quia ministerialis
erat, habuisse videbatur non habebunt: femina ministerialis
ecclesiae, si viro extraneo nupserit, filii eius, propter con-
ditionem matris, praedicto officio non priuabuntur.* FRIDERI-
CVS II. Imp. in diplomate de a. 1254. supplicibus precibus
se rogatum esse refert, h) vt permetteret, filium Sigfridi mi-
ni-

g) *ibid. loc. cit.*

NVS Cod. Diplomat. tom. I. p. 534.

h) in Gener. Dni de GYDE.

nisterialis & Mareſchalli Moguntini, etiamſi ex parte *matris debeat eſſe miniſterialis imperii*, miniſterialem fieri Moguntinum & paterno miniſterio in eccleſia Moguntina deſungi; idque ex gratia indulſit imperator. Arnoldus, praeful Moguntinus in charta A. 1155. 1) matrimonium refert Reinoldi, *Quedlinburgenſis eccleſiae Miniſterialis*, cum *quadam miniſteriali eccleſiae Moguntinae* Methilde, filia Theodorici de Geiſmar, unde, pergit, *proles quam ex ea genuerat, quia eccleſiae Moguntinae attinebat, nec praedia nec beneficia, quae ipſe a Quidlinburgenſi habebat eccleſia, ſecundum ius regale poterat obtinere.* Inde pro miniſterio & beneficio paterno, Reinoldo conciliando, concambium miniſterialium inter utramque eccleſiam initum eſt.

IV.

Dominorum itaque tantum interſuit, habere feminas miniſteriales, quantum intererat, ſeruare in miniſterialium ſuorum poſteritate nexum miniſterialitatis. Ut enim *proles miniſterialium* ipſis eodem nexu eſſet obſtricta, miniſterialem ex familia ipſorum, ita videlicet nuncupari miniſteriales omnes eidem domino ſeruientes ſolebant, uxorem ducere oportebat in matrimonium. Ex quibus perſpicitur ratio, quare non modo miniſterialium maſculorum non minus ac feminarum connubia ad Dominorum conſenſum ſaeppiſſime ſint adſtricta, verum etiam domini, ſubinde diligenter

1) Ibid tom. I. p. 221.

ter prospexerint, ne eorum ministeriales cum alterius potestatis ministerialibus matrimonio iungerentur. Si enim ministerialis nuptias feminae extraneae ministerialis adpetebat, liberi ex illis nati, ob conditionem matris, in extranei domini nexu ex regula consistebant. Sin femina ministerialis nupserat ministeriali extraneo, illud incommodi intercedebat, quod ministerium beneficiumque maternum, per matrem in liberos, ex extraneo patre natos, translatum, in homines alterius prouinciae transfret, cum interesse videretur, ministeria & beneficia seruare inter eiusdem prouinciae homines. Exemplis conuentionumque formulis haec firmare iuuat, quibus prospectum est, ne ministeriales alios, nisi eiusdem domini ministeriales matrimonio sibi iungerent. Wernerus miles, ob Burggrauiatum castri Trys in nexu ministeriali ecclesiae Treuirensis constitutus in charta anni 1277. 1) spondet, quod nos, liberos nostros utriusque sexus, tam genitos quam gignendos nullis aliis quam ministerialibus ecclesiae Treuirensis debebimus & poterimus matrimonialiter copulare, ne custodia dictae turris vel Burggrauiatus in praeiudicium ecclesiae Treuirensis & in laesionem deteriorationem vel diminutionem iuris ipsius ecclesiae ad manus deuluatur vel deueniat alienas, nec aliquis liberorum nostrorum aut heredum vel quicunque alius burggrauiatum praedictum tenere poterit vel habere, qui non sit ministerialis

1) in histor. dipl. Treuir. tom. I. p. 805.

sterialis ecclesiae Treuirensis. Eadem lege Henricum de Apolde in pincernam & ministerialem ecclesiae Moguntinae receptum esse legimus in charta anni 1269. m) *conventionis formula in haec verba concepta: promitto - - - quodsi unquam aliquam feminam de genere ministerialium aliorum quam ecclesiae Moguntinae duxero in uxorem, filii, quos ex tali uxore genuero, petendi & habendi Nomen & officium pincernae, quod mihi iam pridem praefatus dominus meus archiepiscopus Moguntinus contulisse dignoscitur, ius aliquod non habebunt.* Eadem lege Marcholfus, praepositus Achaffenburgensis, duos viros Burchardum & Druitmannum in charta anni 1127 n) *ministeriales sibi constituit & ex eis alterum pincernam, alterum vero Marscalcum ordinavit: ita ut si iidem praenominati viri legitimas de familia eiusdem ecclesiae uxores duxerint, & ex eis liberos procreauerint, qui inter eos maiores masculini sexus fuerint, eadem praedicta officia iure hereditario obtineant; & sic per singulas generationes in perpetuum sibi per eandem conditionem succedant.*

V.

Quamquam regulam exposuerim, liberos lequi conditionem matris ministerialis & per eam subesse domino eadem, cui suberat mater: ea tamen vniuersim non obtinuit, cum inter diuersos ministerialium dominos aliud saepe numero

m) apud dn. DE GEDENUS
l. c. tom. I. p. 917.

n) *ibid.* tom. I. p. 394.

ro pactis caueretur. Multum omnino in conditione ministerialium pacta valuerunt, quibus effectum est, vt varia eorum fuerint in diuersis provinceis & dominorum familiis iura; vt fere fieri hodie solet, principum ministros alios in adstrictiori alios in laxiori esse officii nexu. Itaque non modo ex diuersorum dominorum conuentionibus inter eorundem ministeriales permissae sunt nuptiae, sed & de liberis, ex eiusmodi nuptiis genitis, cautum est, vt diuiderentur inter vtrumque dominum, vel si impares vel vnus tantum nascerentur, ad alterutrum pertinerent, prout conuentio definiebat o). Quod vt vel vno saltem exemplo illustrem, in medium proferre iuuabit ea, quae de matrimonio inter ministeriales imperii & ministeriales Moguntinos incundo ad preces praesulis Moguntini cauit Henricus Imp. VI. in diplomate anni 1192 p). *Matrimoniorum contractus inter ministeriales Imperii & archiepiscopatus Moguntini absque impedimento libere & licite posse fieri & obseruari: videlicet, vt ubicunque inter ministeriales imperii & Archiepiscopatus matrimonium contractum fuerit, liberi, quos genuerint, hinc inde equaliter diuidantur, & inter*

o) Variarum ea de re conuentionum exempla exhibent vir ill. 10. GE. ESTOR de *Minister* p. 144. & V. A. CHRIST. GOTTL. RICCIUS von *Landesfürsten Adel* cap. X. §. 3.

p) Quod exhibet Dn. de GUDENUS l. c. tom. I. p. 312. Simi-

lis conuentio inter Episcopum Herbipolitanum & Episcopum Eystetensem de pueris, ex matrimonio vtriusque ecclesiae ministerialium susceptis inuicem diuidendis exhibetur in charta a. 1243. in 10. HENR. de FALCKENSTEIN cod. dipl. antiquit. Nordgau, N. XXXIV p. 43.

inter liberos hereditas eorum equa lance distribuatur. Item se tantum unum heredem habuerint, & ille fuerit de conditione ministerialium imperii; ducet uxorem alterius conditionis de familia scilicet archiepiscopatus & e conuerso; & quos heredes genuerint, simili modo diuidentur, & imperium & archiepiscopatus in equam eorum participationem consentiant. Ceterum quamquam hoc ius domini in prolem ministerialium speciem aliquam proprietatis mentiatur: illud tamen ex natura & propria indole ministerialitatis, non vero ex rationibus instituti diuersi, & ab hoc nexu longe alieni, explicandum est, quod faciunt illi, qui ministeriales hominum priorum centu habent, similitudine in deuia vocati in instituto omnino diuerso. Quemadmodum ingenui se suosque ad ministeria pro beneficio aliis praestanda obstrinxerunt; ita ius domini in eorundem prolem ex ipsa conuentione & spontanea subiectione natum est, idem futurum in eorundem sobole quale fuerat in patre matreue; vti ex inuerso liberorum ius erat exigendi a Domino beneficii concessionem q). Itaque

q) Itaque & ministeriali quaedam iura competunt in dominum in iisque ius exigendi beneficii & ministerii concessionem: siquidem totus ille nexus ministerialitatis nexum complectitur iurum & obligationum personalium inter dominum & ministerialem,

ministerii & beneficii praestationem concernentium. Obligatio ministerialis ad ministerium exhibendum respondet obligatio Domini ad beneficii largitionem, iure velut obligationis reciprocae. Domino beneficium non largiente, nec ministerialem ad mi-

que non ex proprietate in corpus, qualis in homine proprio conspicitur, sed ex *iure Domini pactio* in personam patris & matris ius illud in liberos ministerialium proficiscitur; idque vi eiusdem conuentionis hereditarium fuit.

VI.

Natales feminae ministerialis vidimus. Difficilior visio est, quae fuerint feminarum nostrarum ministeria, cum certiora deficiant in hoc argumento monumenta, & quae supersunt exempla, coniecturis tantum locum faciant. I. Principio quaedam omnino ministeria, maxime praecipua aulae officia, virilem curam exegisse, ab iisque feminae ex regula alienae esse videntur. In his vel omnino negatam, vel saltem, deficientibus maribus, ideoque in subsidium tantum, admissam intelligimus feminarum in ministeria iisque adiuncta beneficia successionem. Sententia quidem Henrici VI. r) qua a 1230. definiuit, *quod nulla virgo vel mulier in ullo quatuor officiorum principalium, scilicet dapiferi, Pincernae, Camerarii, Marschalli ratione hereditatis fratri suo succedere possit*, rem non omnino conficit, cum ad successionem sororis ministerialis pertine-

ad ministerium obligatum fuisseprehendimus. In iustitia ministerialium Ecclesiae Bambergensis apud ECCARDUM *script. rer. germ. tom. 2. p. 102.* haec eorum iura referuntur. *Si beneficium non habuerit ab Episcopo & repraesent-*

tauerit se in eius ministerio, & beneficium non poterit obtinere: cui vult, militet, non beneficiarius, sed libere.

r) in FRID. ERN. KETTNERI *Antiquit. Quedlinb. p. 219.*

tinere videatur. De successione *filiae* in ministerio nihil definit. Haec *deficientibus maribus*, admissa est, s) ita ut plurimum, ut ministeria, quae virum desiderant, per substitutos & vicarios masculos praesterint t). E contra II. a verisimilitudine non plane recedit, in ministeriis, quae sexum decent, occupatas fuisse feminas ministeriales, maxime in gratiam illustis matronae, domino nuptae; easdemque in matronarum comitatu & consuetudine fuisse, nec non officia in aula eiusque solennitatibus praestitisse. Saltem ministeriales maritos secum in aulam adduxisse feminas, hisque ibi praesentibus factam esse beneficiorum stipendiorumque largitionem exemplo docemur, quod occurrit in saepe excitata charta Conradi comitis Luxemburgensis, Advocati abbatae S. Maximini, de anno 1135. u) ubi stipendia eorum in solenni die festo ita definiuntur. *Ministerialis, si cum uxore sua venerit, duodecim panes, sex sextaria vini, ouem unam* reci-

s) Insignis est constitutio Friderici II. Imp. pro Stiriae ministerialibus de a. 1237. apud RUNIGIUM *Part. spec. arch. Cont. I. forst. 4. Abs. 4. Vol. VI. p. 142. Sancimus, ut filiae in bonis patris succedant, eis herede carentibus masculino, per quas memoria patrum in filiis propagatur.* In registro Prumienfi apud HONTHEIMIUM l. c. tom. I. p. 668. haec notantur: *si aliquis mi-*

nisterialis ecclesiae obierit, & non filium sed filiam de familia ecclesiae superstitem reliquerit; Dn. Abbas de bona & pia consuetudine potest eam de feodo patris sui insecutare.

t) Exempla exhibet viri ill. CHRIST. GOTTL. BUBERI *diff. de feudis official. hereditar. Prov. Germ. §. 10.*

u) apud HONTHEIMIUM l. c. tom. I. p. 528.

recipiet; si autem sine uxore venerit, cum abbate ipse - - comedet. Accedit, quod ministeriales sollicite cauerint nonnumquam, ne filiae eorum ad officia, sexui nimis graua, vocarentur. In diplomate anni 1029, x) quo *Conrado II.* in numerum ministerialium Imperii traditi ab eoque recepti erant ingenui multi, etiam hoc supplices rogauerant ministeriales. Denique pro filiabus nostris petimus, ne vnquam cogantur in seruitium pedissequarum, excepta Italica expeditione. Itaque filias eorundem saltim expeditioni Italicae, ceu pedissequas, interfuisse apparet; ex eoque easdem ad alia ministeria, sexui non adeo onerosa, vocatas esse, colligitur. Denique III. ex his ipsis consequi videtur, quasdam ministerii partes, filiabus feminisque ministerialium concreditas esse. Saltem ministeriorum palatinorum ambitum amplissimum, & ad eorundem functionem plures ex vtroque sexu vocatos esse vel vno exemplo intelligitur traditionis, in charta anni 1230 expositae y) *Hi sunt homines militaris conditionis, quos Otto Comes de Botteloben & uxor sua Adelheydis coniuncta manu dederunt Ecclesiae Herbipolensi proprietatis iure perpetuo possidendos. Hartman & Pueri sui & duae sorores eiusdem cum pueris suis, Albertus, Conradus Theodoricus Fratres, tres sorores eorundem, Volmundis uxor Trumphonis, M. Aldis,*

VXOR

x) quod habet ECCARDUS l. c. tom. II. p. 110 & FALCKENSTEIN l. c. N. XII. p. 25.

y) apud IO. FRID. SCHIANNATUM in *Vindemiis literarum collect.* 2. n. XV. p. 121.

vxor Gerlaci, quae omnes dicuntur ab Habechsberg; Thegeno-
 dapifer & vxor ejus & pueri praeter vxorem Waltmanni, Her-
 mannus Rubetzagel Wortminus fratres eiusdem. Henricus
 Momolin. Wolframus de Oftein, Pincerna, Kunigundis de
 Westheim vxor Seifridi de Werna & Pueri sui. Albertus de
 Bercha & medietas puerorum; Carl & Friedrich fratres &
 duo sorores eiusdem Alberti de Bercha. Pueri Adelheidis de
 Strouve, & pueri Alliganta de Strouve. Pueri & vxor Herolti
 de Northeim. Vxor Gotschalci de Northeim. Vxor Gotefridi
 de Lengsfeld & tres fratres eiusdem. Vxor Friderici de Bo-
 seuvins. Mater Seifridi de Eschenbach, Otto, Henricus, Sei-
 fridus de Eschenbach. Mater Lamberti & fratrum eius.
 Gepa de Dypach. Bertoldus de Buchelberg & pueri. Berto de
 Ertal & vxor. Albertus de Obersfeld. Albertus de Hemelin &
 vxor. Vxor Helmeboldi de Steingerwald. Pueri Helmeboldi de
 Gerbrechts-Winiden. Witigo de Nuenboven. Herman de Ste-
 taben & soror. Vxor Wolframi de Ebenhausen. Rilindis de
 Eschenbach. Riza de Hohheim & Pueri eorum. Hi omnes
 masculi & feminae sunt ad seruitium Herbipolensis ecclesiae
 in Mareschalci Officio deputati. Ampliorem numerum mi-
 nisterialium vtriusque sexus, ingenuorum omnium, ad-
 scriptorumque ad officia aulica vix legere memini. Tan-
 dem IV. etiam si animum ab ipsis seminarum officiis re-
 uocemus, alia tamen, nexum ministerialitatis in feminis
 seruandi, ratio interueniebat, quod interesset domino-
 rum

rum, habere virginum ministerialium familiam, ex qua vxores sibi quaerere eorundem ministeriales, vt sic iura domini in posteritate ministerialium seruantur. Inde ab aliis dominis feminas ministeriales permutationis vel alio titulo requisitas subinde legimus, vt essent domino propriae feminae, quas ducerent eorum ministeriales, ceu mox observabimus.

VII.

Ceterum ius domini in feminam ministerialem *proprietatis* nomine exprimi solet, vt exprimitur in charta antea excitata, hoc videlicet significatu quo generatim ius quaecunque nobis proprium, nobisque solis acquisitum, ad proprietatem nostram referimus. Huius iuris consequens esse censebatur, quod dominus, vt potest de iure suo quisque disponere, ius suum in ministerialem potuerit in alium transferre. Ita vero dominus ministerialem proprie non alienabat, sed *ius suum* in eundem, ex nexu ministerialitatis acquisitum, alteri cedebat; perinde vt dominus vasallos subditosque non proprie dicitur alienare, dum iura sua in eosdem in alios transfert, quamquam *sermonis compendio* vasalli, subditi, ministerialesue dari, donari, permutari dicantur. Eiusmodi cessio iurium domini in feminam ministerialem significanter exprimitur in diplomate
femi-

Richardi Regis de a. 1263. z) quo Rex Odam, Ministerialem imperii, ab obsequio ministeriali erga se & imperium liberat, suaque & imperii iura in eandem, in ecclesiam Treuirensē transtert. Volentes ecclesiam Treuirensē speciali gratia prosequi & favore, dilectam nobis in Christo ODAM filiam Conradi de Schonecke militis, dilecti fidelis nostri, uxorem nobilis viri Weneri de Trys, Ministerialem nostram, cum omni sua posteritate ab obsequiis ministerialibus, ad quae nobis & sacro tenebatur imperio, absoluentes, dictae ecclesiae Treuirensi & beato Petro eandem cum omni iure quod, nos & imperium habebamus in eadem, & in sua posteritate habere poteramus, liberalitate regia donamus & concedimus, ab eadem ecclesia perpetuo pacifice possidendam; ita quod dicta Oda cum suis posteris dictae ecclesiae Treuirensi ad instar aliorum suorum ministerialium sit adstricta. Quod domini alienas ministeriales sibi cedi curauerint, eius rei vel haec praecipua ratio interuenit, quod easdem sibi obnoxias esse cuperent, si a ministerialibus suis in matrimonium expeterentur; ne liberi ex iisdem nati dominum extraneum matris sequerentur. In exemplo proposito haec ratio manifesta est. Cum enim Wenerus de Trys, Burggrauus & Ministerialis Treuirensis a), Odam, ministerialem imperii duxisset uxorem: interesse videbatur ecclesiae Treuirensi,

z) quod inter alia antiquitatis monumenta publici iuris fecit Vir ill. GE. CHRIST. GEBAUERUS in *Vita Richardi* p. 391.

a) Hunc Treuirensis ecclesiae ministerialem fuisse, constat ex charta de a. 1277. apud HONTHEIMM l. c. tom. I. p. 804.

rensi, Odam fieri ministerialem *Treuirensē*, vt *proles* ex ea nata in obsequio *ecclesiae* esset, quae alioquin in *nexu imperii* futura fuisset. Vnde Richardus hanc gratiam ecclesiae indulgens, omne ius cedit, quod ipse & imperium habuerat in Oda ministeriali, & quod in ipsius posteritate habere potuisset. Eodem consilio mutuae cessiones feminarum ministerialium inter earundem dominos permutationis titulo factae sunt; eo-que modo non tantum ministeriales feminae procerum imperii inter se, sed & hae cum ministerialibus matronis imperii permutatae sunt. Quamquam enim obseruantia inualuerit *b)*, ne imperator posset ministeriales imperii, *his inuitis*, nexui ministerialitatis Statuum imperii subiicere, quod talis cessio dignationem eorundem minuere censeretur: id tamen fieri poterat, *consentiente* ministeriali. In superiori exemplo de consensu Odae Ministerialis Imperii, ne dubitare quidem licet, cum & ipsius interesset, liberos ipsius ad burggrauatus ministerium adspirare, quo fungebatur ipse maritus. Subiungimus aliud exemplum, quo interueniente expresso maritorum consensu vxores *ministeriales imperii* & *Procerum* permutatae sunt. Wilhelmus Romanorum Rex in diplomate a. 1253. significat: *quod quaedam inter nos ex vna & Nobiles viros dilectos Principes nostros, Johannem videlicet & Ottonem, Marchiones*

b) De qua testatur Ins Prou. *noch ihre Schild niedrigen könne, Saxon. lib. I. c. 46, n. 2. Das der weil sie des Reichs Dienstmannen König seine Dienstmannen in der waren. Laien Fürsten Gewalt nicht geben,*

chiones Brandenburgenses ex altera parte, personarum est variatio ordinata. Habuimus enim quandam personam feminam Vdam nomine, uxorem videlicet Rycharði de Therewist, nobis & imperio attinentem, quam dictis principibus ex consensu predicti Rycharði, pro alia persona feminea, Grita nomine, uxore scilicet Heydenrici de Hertbeck, ipsis Marchionibus attinente in concambio dedimus. Si quid iustae coniecturae dandum est, Richardus de Therewist seu de Zerbst ministerialis Marchionum Brandenburgensium, & Heydenricus de Hertbeck ministerialis imperii fuisse videtur. Vt itaque utriusque uxores, quarum prior imperio, altera vero Marchionibus haecenus obnoxia fuerat, eundem cum marito Dominum agnoscerent, haec uxorum ministerialium permutatio interuenit. Ceterum feminae ministeriales non modo ut singulae, aliis cessae sunt: verum etiam, alienato territorio, feminae, in nexu ministerii erga illud consistentes, una cum eodem in alios translatae sunt, perinde uti vasalli, in nexu vasallagii erga prouinciam subsistentes, una cum illa alienari solebant. Conradum, dynastam de Winsberg, ecclesiae Fuldensi anno 1320. in feudum obtulisse legimus d) villam Hartshusen & una cum illa honestas viduas, videlicet relictam quondam Conradi dicti Caplan & Agnetem relictam quondam Geroldi de Gemmingen militum cum suis liberis & heredibus utriusque sexus, quae haecenus titulo proprietatis possedisse dicitur.

C 2

VIII

c) apud Jo. PETR. de LUDE-
WIG reliq. med. aevi tom. II. p. 248.

d) in charta de a. 1320. *ibid.*
tom. II. p. 267.

VIII.

Quemadmodum dominus ius in ministerialem transferre in alios, ita eodem prorsus cedere feminamque ministerialem ex suo nexu dimittere potuit. *e)* Qua dimissione femina ministerialis non tam ingenuitatem, quam amiserat numquam, sed libertatem a ministerii nexu consequabatur. Fiebat ergo ingenua libera, ut fere dicere solemus *adelich frey*, quae hactenus fuerat ingenua ministerialis. Hoc sensu liberi, a nexu ministerii immunes, a ministerialibus distinguuntur saepissime. Quod vero non minus nexum ministerialem cum *seruitute*, quam liberationem ab hoc nexu, cum *manumissione* comparauerint, qui stilum Romanum accommodarunt Germaniae institutis, hoc tribuendum est stilo & mori veterum; cum haec magis *dimissionem ministri seu officialis ab obligatione officiorum erga dominum* imitari videatur. Et feminae tum praefertim, quando connubii cum ingenuo libero ineundi occasio ferebat, a ministeriali nexu liberari prouidi cupiebant, ne proles ex huiusmodi matrimonio suscepta, matris ministerialis conditionem sequeretur. Sed haec ulterius illustrare, instituti ratio non patitur; & erit forte de his dicendi alius locus. Pergendum est ad id, cuius causa pauca praefatus sum. Indicandi enim sunt honores

VIRI

e) Ius feud. Alem. cap. 54. Ceterum cum multiplex significatus vocis, ministerialis, subinde difficultatem parit in doctrina de ministerialibus; tum cauendum, ne ad ex-

empla ingenuarum, ex nexu ministerii dimissarum, referantur manumissiones ministerialium propriarum.

VIRI PRAENOBILISSIMI
BARTHOLDI IOANNIS DAVIDIS
CLAUERI

MOENO FRANCOFVRTHANI

qui de vitae studiorumque suorum rationibus ita ipse exponit

In lucem editus sum, Francofurti ad Moenum, inclyto illo Germaniae nostrae Emporio, VIto iduum Aprilis, A. C. cIoIcccxxxii. Patrem habui Virum Ampl. DAVIDEM CLAVERVM, I. U. L. Registratorem & Archiuarium, eiusdem celeberr. Reipubl. Francofurtanae, quem tamen proh dolor! fata diuina, nunquam satis veneranda, vix tertium annum attingenti mihi, iterum eripuerunt. Mater autem fuit MARIA EVA, CONRADI BETHMANNI Electoris Moguntini monetarum praefecti filia, quae pariter ante quatuor, & quod excurrit, annos diem obiit supremum. Quo tristi nuntio, ex hac praeclara Academia, rursus domum repedare cogebar, quum vixdum ante paucos menses, in patria nobis invicem, diceremus vltimum vale. His itaque parentibus amantissimis, maximopere curae cordique mea fuit educatio, adeo ut a religione officii eorum declinare credidissent, nisi me adhuc tenellum, quum trium nondum annorum essem, tam priuatim quam publice, principiis sanctissimae religionis ac pietatis praesertim imbui, primam operam adhibuissent. Patre vero ex post vita functo, curae illud ac tutelae onus, ad solam meam genetricem devolvebatur omne, quae per totam quoque aetatem suam, pro mea salute valde anxiosa fuit atque sollicita, ut me tantorum beneficiorum ingratum praeberem, sin hoc monumento publico id non testificarer, illique vel post cineres beatos non immortales referrem gratias. Curavit enim illa me liberaliter ac honeste educandum, & prope annum octauum ingressum, in celeberr. gymnasium, quod in patria floret, misit, fasces scholasticos eo tempore

B. KLUMPFIO tenente. Hoc celeberr. patriae gymnasium per nouem integros annos frequentanti mihi, praeceptorum doctrina ac vitae probitate praecellentium, institutionibus ingenuis uti, ad summam voluptatem non modo, verum & utilitatem laud minorem, licuit, quod sine debita gratiarum actione hic referre non potui. Quo studiorum ad altiora vehentium stadio peracto, consilio demum atque auctoritate amicorum Patronorumque meorum mecum constitui, ad finiendum, quod coepi curriculum, hanc Almam Georgiam Augustam prae reliquis omnibus Academiis contendere. Ubi etiam, anno cIo MCCCLXIX. die IVto Mensis Septembris, in numerum studioforum sub Dno Excellentissimo Kahlio, tunc Prorectore receptus, hucusque, fama, nomine ac scientiis longe lateque celeberrimis viris, usus sum, quibus haec vniuersitas, pro eximia Augustissimi sui Fundatoris in eligendo cognitione nulli secunda, abundat, seque iam dudum reddidit celebratissimam. Viros imprimis illustres & Excellentissimos adii, quos sequens ordo complectitur. In Logica autem & in genere in Philosophia ducem habui Exc. BECMANNUM iuniorem. Jurisprud. natural. praecepta Exc. BECMANNVS maior, secundum instit. Ioach. Georg. Darics, pariter Exc. ACHENWALLUS, ceu quoque S. Rev. D. RIBOVIVS, me docuerunt. Ad historiam iuris quod attinet, Illustr. AYRERI orationibus interfui. In iure Ciuili, Canonico & Feudali frequentavi auditorium Viri Ill. BOEHMERI. In iurisprudencia criminali ad Exc. MEISTERI vinam vocem accessi. In iure publico & historia S. R. I. Ill. SCHMAVSII doctrinam secutus sum. Notitiam vero praxeos iuris ciuilis item ex ore suaui viri Exc. MEISTERI secundum Car. Gott. Knorrii introductionem ad processum hausi. Praelectiones notitiae Rerumpubl. Europae apud Exc. ACHENWALLVM audiui. Physicam denique celeberr. HOLLMANNVS tradidit mihi. Ne tamen

longiori laborum meorum academicorum enarratione lector fatigetur, haec sufficiant, Deum supplex precaturus, ut Patronos hos meos atque Fautores in omne aevum colendos pro tantis in me collatis beneficiis saluos sospites atque incolumes una cum eorum splendidissimis familiis ad litterarum liberaliumque artium incrementa seruet, hancque laetitiam atque incolumnitatem illis perpetuam esse iubeat. Exantlatis tandem hisce laboribus, ab Illustri Ictorum ordine, ea, qua decet pietate atque observantia, petii, ut examini profectus meos qualescunque subiicere, mihiq; summos in utroque iure honores doctorales, si me iis dignum iudicaret, benigne conferre velit.

Non defuit Ordo noster desiderio honestissimo, sed lubens admisit ornatissimum candidatum ad examina solennia, in quibus non minus docte ad propositos iuris utriusque textus commentando quam ad varias iuris quaestiones respondendo talem se exhibuit, ut ei summi in iure honores ab ordine nostro decreti sint. DECRETOS ASSENSV & PRAESCITV SPLENDIDISSIMI ACADEMIAE CANCELLARIJ eidem conferam; postquam ornatissimus Candidatus futuro die XI. Jan. praemissa lectione cursoria ad *C. 3. C. de usufructu* dissertationem inauguralem de *usufructu coniugum pactitio* praeside viro illustri, IOANNE FRIDERICO WAHLIO publice defenderit. Quem actum ut

SERENISSIMI HASSIAE PRINCIPES,
MAGNIFICVS ACADEMIAE PRORECTOR CVM SENATV,
ILLVSTRISSIMI COMITES, ILLVSTRES GENE-

GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI CIVES ET HOSPITES honorifica praesentia sua exornare velint, quam reuerentissime & quam officiosissime rogo atque contendo. P. P. Goettingae
a. d. X. Ian. clcclxlv.



